DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
VOMITU AQUÆ EX GULA,
Vulgo:
Hertz- oder Wallen-Wasser;
Quam
AUSPICE SUMMO
DECRETO ET AUTHORITATE INCLYTI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA HAC ET ANTIQUISSIMA EBERHARDINA,
PRÆSIDE
VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO, ET EXPERIENTISSIMO, DOMINO,
DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,
Phil. & Med. D. & P. P. Ordinario, Facult. h. t. DECANO Spectatissimo, Sereniss. Duc. Würtemb. Archiatro & Consiliario,
Fautore, Patrono & Præceptore suo colendissimo,
PRO LICENTIA.
Summos in Medicina Honores, Privilegia & Insignia
DOCTORALIA
ritè legitimeque consequendi,
Publico & solenni Examini submitit,
Ad diem Septembris.
IN AULA NOVA,
MELCHIOR FRIDERICUS Geuder/
Nördlinga-Rhætus.

TUBINGÆ,
TYPIS Viduæ JOHANN-HENRICI REISI,
ANNO M DC LXXXVI.

PROŒMIUM.



Um ex more recepto post *exantlata examina Publicum* edere *Specimen* jubeor, hac Disputatione excussum affectum Tibi sisto, B. L. utut ejus in scriptorum monumentis rara injiciatur mentio, in praxi tamen haud infrequentem, ex Excell. DN. D. Præsidis (cui, quantum mea debeant studia, nunc tacita potius veneratione prosequi, quam operoso verborum ambitu, eoque tamen insufficienti complecti, par erit) observatione. Cum autem ne profuse quidem fari, nedum copiose præfari pagellarum angustiis circumscripto liceat, id unicum contendo, ne, si hoc thema minus forsan concinne & accuratè elaboratum videatur, vitio statim vertas, sed ætati, qua & judicium & experientiam multum adhuc impediri lubens fateor, tantillum indulgeas, nec minus Auctorum, quorum vestigiis potuissem insistere defectui aliquid tribuas. Sit ergò.

§. I.

NOn arbitror esse necessum, ut multum temporis chartæque perdam in operosa *nominum* enodatione *Philologica*, eorundemque ubere explicatione; cum, quid *Vomitus* in genere, quid Vomitus Aquæ, sive seri sibi velint? neminem, vel leviter rudimentis Medicinæ imbutum latere possit. Hoc tamen *monendum* duco, me vocem Vomitus alias ventriculi affectum dicentem, in significatione minus quidem usitata, non absona tamen, nec prorsus non analoga adhibere, prout comparationem inter utrumque affectum instituenti patebit.

§. II.

Id autem *primum* mihi datum negotii existimo, ut affectus hujus *historiam* ante omnia oculis exponam: Homines potissimum *temperamento* gaudentes bilioso, aliquando melancholico, quorumque sanguinem particulæ acres, & vitia peregrina inficiunt, *parum appetentes*, *vini* vel *Sp.us* ipsius potui nimis dediti, vel illud jejuno haurire stomacho soliti, vel etiam, qui alias *minus assueti* per unum alterumve diem liberius paullo *Libero Patri litarunt*, mane, excusso somno, cum ore *fauces* habent *siccissimas*, *molesti quid* in faucibus, ac infra illas, quodque glutinosum quasi tenaciter hæreat, sentiunt, in parte scrobiculo cordis superiori inque principio nonnunquam faucium, per quadrantem horæ & ultra adeò irritans, ut non solum ipsi ægri *excreatione* summo conatu illud educere tentent, sed & ipsa natura magna vi ad *sudorem* usque *conatu* à vomendi conatu diverso ejus moliatur expulsionem, usque dum *seri tenuis*, modo insipidi, nonnunquam acidi, aliquando biliosi amaricantis, exigua, plerumque quantum *unum* excipit *cochlear*, nonnunquam *duo* vel *tria*, portio ejiciatur. Vulgus *id serum* appellare solet, **das Gallen-Wasser** / ratione nominis deducta à *sapore* plerumque bilioso-amaro: Alii vocant, **das Hertz-Wasser** / cujus nominis non adeò patet ratio, nisi quod forsan quidam ea, sed absurda ducantur opinione, fontem hujus aquæ in pericardio liquorem quendam seri sobolem continente quærendum esse; vel quod illa irritatio molesta frequenter circa cordis vulgò dictum scrobiculum sentiatur.

§. III.

His præmissis describo hunc morbum, quod sit *excretio per os humoris serosi, descripto modo se habentis, à fibrarum gulæ musculosarum contractione spasmodica, ob mucum gulæ irritantem proficiscens.* Varie posset hic morbus definiri, vel per *actionem depravatam*, vel per *morbum solutæ unitatis*, aut *auctæ magnitudinis*.

§. IV.

Quia autem in definitione affectus dicitur *excretio humoris serosi per os*, necessum erit, cum variæ ejusmodi *excretionum species* libros Medicorum occupent, quasdam enarrare, & ab hoc affectu

affectu distinguere. Motus ergò convulsivus fibrarum gulæ statim dicit non intelligi hic 1. *illam excretionem fieri per os*, quam *Ptyalismum* vocant, dum saliva vel ob materiæ copiam, vel glandularum secernentium laxitatem, aut aliam quamcunque labem, vel ob fieri per medicamenta, ☿ialia præsertim, fusionem, attenuationemque per ductus salivales *Warthonianos*, *Stenonianos*, *Riviniano-Bartholinianos*, & *Nukianos*, ab Inventoribus ita dictos, nec non alia vasa glandularum secretioni salivæ ministrantium excretoria (ab *Excell. Dn. D. J. M Hoffmanno, Jun. P. P. Altorffino, h. t. ibid. Rector. Magnif. Præceptore & Fautore meo honoratissimo*, nec non à *B. Lossio* peculiaribus *de Saliva* Disputationibus accuratissimè descripta) copiosè in cavitatem oris deposita, crebram sine tussi screatu & vomitu expuitionem inducit. Nec 2. *illam*, quam tum *vomiturientes*, tum *oscitantes* experimur sæpè, quando glandulis & ductibus salivalibus à musculis compressis saliva extra os, nonnunquam ad aliqualem distantiam prosilit. vid. *Nük. de ductu salival. nov. c. 2. p. 46.* Nec 3. *illam*, quam in studioso observavit laudatus *Lossius*, ex cujus *uvulæ* limpida & aquosa materia cum impetu exiliit. Nec 4. *illam*, dum cum screatu & tussi serum ex minutis *asperæ arteriæ* glandulis, vel aliunde in partes respirationi dicatas derivatum ejicitur. Nec 5. hic *vomitum aqueum* à ventriculo contingere itidem solitum intelligi, docet molestiæ locus, & aquæ ejici solitæ exigua quantitas: non tamen nego, utrumque aliquando jungi. Quorsum referenda sit observatio *Hanemanni, in Ephem. Curios. Dec. 2. Ann. 4. obs. 108. p. 207.* annotata, ob omissas potissimas & summè necessarias circumstantias determinari nequit.

§. V.

Sed pergo ad propositum affectum, cujus *Subjectum inhæsionis* est canalis ille, ori ad ventriculum usque continuus, *Oesophagus* & *Gula* dictus, nervis, arteriis, venis, vasisque lymphaticis præditus, ex tribus juxta *nonnullos*, ex quatuor, quinque imò sex secundum *alios* tunicis constans, exteriori communi, à plerisque à Peritonæo, à *Willisio* à diaphragmate, à *Diemerbrœkio* & *Blasio* à Pleura derivata: altera carnosa, & veluti musculosa, (quam duplicem facit sex numerans tunicas *Blasius*,) fibris longitudinalibus,

 trans-

transversis oblique ascendentibus & descendentibus pro subjectorum varietate variis instructa. Cui subjacet tertia in lamellas varias divisibilis, à *Blasio* in Oesophago vitulino, *Bohnio* in canino notata, inque bovino nuper à me visa, membranacea. (vid. *Blas. Anat. Anim. & Bohn. Colleg. Anat. experim. Msc.*) Quarta nervea, membranæ os faucesque succingenti continua, post levem elixationem tendinea & quasi cartilaginea eodem *Bohnio* teste evadens, crustaque villosa tenuissima veluti lanugine obducta, quam nonnulli, (forsan non inconcinne,) quintam constituere tunicam contendunt. Nervea tunica ablata conspectui se sistunt glandulæ plurimæ miliares, cœtui congregatarum secundum novam *B. Lossii in Disp. de glandul. in gen.* divisionem annumerandæ, vasis excretoriis veluti foraminulis exiguis apparentibus singulæ præditæ, pressæque humorem quendam stillantes, nec veteribus, quantum ex *Th. Janson. ab Almeloveen invent. nov. antiq. §. 18. p. 161.* colligere est, penitus ignotæ, accuratius tamen notatæ ab eodem *Lossio*, *Wepfero*, *Hardero*, Brunnero, *du Verney*, *Craanio*, *Broen*, *Kœnigio*, & diversis in scriptis descriptæ: melius & facilius observandæ si nervea divulsa tunica carnea luci opponatur secundum *du Verney*, vel gula in aqua maceretur, vel microscopio subjiciatur, secundum *Wepferum* & *Kœnigium*. Prioribus duabus enchirisibus contentum me esse jubebat microscopii defectus, quibus adhibitis in gula ex animali recens mactato desumta promte in conspectum venerunt. Sed aurem quis vellicat; has glandulas non minus ac stomachicas in brutorum tantum, non hominum cadaveribus esse repertas: Verum enimverò præterquam quod perpetua ferè corporis inter humani & plerorumque brutorum structuram internam intercedat analogia, quæ objici potest, de illarum in corpore humano quoque existentia ex hoc solo dubitare nollem, nec illum nodum in scirpo quæsiturum statim dicerem, qui illas ut & stomachicas (quas in fœmina fluore uterino laborante, *Muraltus*, in infantibus *du Verney* se vidisse referunt: vid. *Bonet. Anat. Pr. l. 3. S. 36. p. 1353. & Journal des sçavans. Ann. 78. m. Aug. p. 372.*) in humanis cadaveribus curatius investigare conaretur; utut non desit dubitandi ansa, an facile nudo præsertim oculo quis illas sit visurus, post mortem

quippe

quippe flaccefcentes, eo ferè modo, quo pinealis glandula in canibus à nonnullis eapropter deeffe credita (quam tamen, fi primo ftatim caput infpiciatur, apparere, ex relatione *Amici* didici) flaccefcit, & inftar membranæ concidit; quod ex eo evadit probabilius, quod hæ ipfæ glandulæ in Oefophago brutorum altero poft extractionem die nudo oculo infpecto tantum non fruftra quærantur. Et fi *glandulas vaforum lymphaticorum* ftamina appello æternumque *glandulas* inter & *vafa lymphatica* commercium cum *Stenone, Wedelio aliisq;* urgeo; *vaforum lymphaticorum* in Oefophago etiam confpectorum præfentia egregium pro ftabilienda *glandularum* exiftentia fubminiftrat argumentum.

§. V I.

Caufa eft *fibrarum tunicæ œfophagi carnofæ contractio fpasmodica*, ab irritatis Ωbus animalibus dependens: Res verò irritans eft mucus alias naturaliter gulam oblinens, aliquando quantitate deficiente, aliquando qualitate, dum non blanda rofcida fua fubftantia humectat, fed particulis acribus, acutis, cufpidatis, rigidis, rodendi, pungendi, vellicandi vi gaudentibus præditus eft, aliquando utraque peccans.

§. V I I.

Hæc ut eo melius intelligantur, inconcinnum non erit, *feri conditionem* in ftatu naturali paucis proponere. Conftat ergò ex *Phyfiologicis* 1. fluidum illud eleganti fe rubedine commendans, quod maffam folemus nominare fanguineam, ex duabus partibus conftare; *una* purpurea fulphureo-falina puriffima, & maximè exaltata, fecundum *Lewenhokium, Cafp. Bartholinum, Syen, Brunnerum, Bohnium, Kœnigium*, & *alios*, fub minimorum globulorum in continuo motu nunc furfum nunc deorfum, nunc ad latera tendentium fchefi apparente; *altera* (quæ experimentis Boylei *in appar. ad hiftor. fangu. hum.* & *Bohnii in Lipf. Act.* enarratis potiffimam ejus conftituit partem) ferofo-gelatinofa, mucilaginofa, quæ poft paftum chylofa, alias verò cryftallina pelluciditate gaudens obfervatur, & fibrarum quoque fanguini vulgo tributarum auctor eft, transvectionem prioris infuper juvans. Conftat 2. portionem hujus poftquam illam ope fibrarum cordis mufcularium in arterias propulfam tanquam individuus comes, ad

extre-

extremitates utque arteriarum secuta fuerit pro nutritione partium una cum illa, & pro humectatione & oblinitione ipsarum hinc inde deponi; aliam in variis glandulis secerni, vel sanguineæ massæ ad varios usus præstandos, sive immediatè, sive mediatè reaffundendam, vel è corpore eliminandam; aliam cum dictis globulis venas intrare; reliquam tandem venas intrare non valentem vasis sic dictis lymphaticis à *Th. Bartholino*, si non primum visis, primum tamen erudito orbi communicatis ac descriptis in interstitia fibrarum desinentibus, & ex mechanica quadam secundum *Schelhammeri* placitum, necessitate venis in officio reducendi associatis se insinuare, & vel immediatè magis per lymphatica nempè jugularia & axillaria descendentia nominata, vel mediante ductu thoracico cum sanguine venæ subclaviæ & jugularis ad sanguinis fontem, Cor videlicet redire, sicque suum peragere circulum. Constat 3. serum à quibusdam glandulis secretum glutinosum quasi ac mucosum per membranas partium cavarum diffusum easdem humectare & oblinire. Constat denique ex Pathologicis, dictam partem serosam esse salium receptaculum, adque illa in sinu suo gerenda aptissimum.

§. VIII.

His ita, quantum instituti permittit ratio, suppositis & consideratis, haud erit difficile, *modum quo morbus hic producitur*, probabiliter saltem deducere, modo mox dicendo. Dum nempe serum inevitabili circulationis lege cum sanguine ad Oesophagum quoque defertur, ut pars pro nutritione relinquatur, alia à glandulis dictis separetur, pro oblinenda gula mucoque singulas ejus membranas nerveam potissimum perfundente ac humectante, ipsi obducendo, reliqua partim per venas, partim per vasa lymphatica ad cor redeat; illud v. particulis sulphureo-salinis biliosis vel aliis acribus impraegnatum est, mucum talibus tinctum relinquit, (ille enim mucus nil nisi serum est) & accusatæ particulæ singulæ absorberi aut revehi nequeunt; Mucus ergò vel ob seri vitium, cujus soboles est, vel ob ipsarum glandularum suo non debitè fungentium officio culpam, vel à transmissis per os ad gulam (quod aliquando fit) acris redditus distendendo, vellicando, aliove quovis modo irritat, ut à fibris muscularibus spasmodicè contractis

serum

ſerum, quod in vaſis lymphaticis glandulis ac dicendis locis continebatur, mox extorqueatur, ſurſum pellatur, & per os excernatur. Annon hydatides etiam ab ejusmodi ſtagnatione & motu ſeri impedito oriundæ hic quoque oriri poſſint & irritare, usque dum ruptæ contentum cogantur evomere humorem, aliis judicandum reliquo: de hoc tamen non dubitans, illi ſero, quod in hoc affectu excerni cernimus, non nihil ſalivæ ob glandulas & vaſa ſalivalia ſub illo conatu & expulſione à muſculis compreſſa, linguæque agitationem majorem & frequentiorem, accedere & una ejici. Addidi ſupra etiam *vitium quantitatis deficientis*, dum enim gula iſto muco denudata nec ſufficienter obducta eſt, nerveæ fibrillæ facillimè irritantur & ſpasmodica conſtrictione ſerum ex dictis locis extrudunt. Iſta autem loca ſunt modò glandularum (accedente earum laxitate & debilitate, aut etiam vaſculorum excretoriorum in cavitatem gulæ hiantium ob ſiccitatem & calorem arefactione, conſtrictione, anguſtatione & obſtructione) areolæ, modo vaſa lymphatica, (quæ in ſtatu naturali nonniſi revehentia, quin coacta preſſa in p. n. contentum evomant, nullus dubito) modo tunicarum quartæ præprimis & quintæ interſtitia. (cui meditationi anſam dedit *Albinei* & *Wepferi* de cauſa boli in faucibus ab hyſtericis potiſſimum ſentiri ſoliti, conjectura, vid. *Wepf. Hiſtor. Cic. aquat. c. 20. p. 260. & 267.)*

§. IX.

Nec *reliquorum* præſentium *ſymptomatum* rationem reddere nunc erit difficile: *Appetitus* ſiquidem *imminutus* debetur liquori gaſtrico debita craſi non gaudenti, non debite ac blande ſalino-acido, ſpirituoſo volatili exiſtenti, ſed acrimonia tali ſalina ſylveſtri peregrina, inimica, quali totum ſerum, impraegnato: Neque id mirum; cum ipſe ille liquor gaſtricus, (qua voce libentius, quam fermenti minus congrua utor) ſi tum ratio, tum experimenta præcipuè *Bohniana* conſulantur, nihil aliud ſit, quam ipſiſſimæ lymphæ portio à glandulοſa ventriculi tunica ex arterioſo ſanguine ſecreta, & ſpirituum animalium per nervos copioſè ventriculo implantatos affluxu paullo magis volatiliſata & exaltata. *Anxietas* verò illa deducenda à cordis & ſanguinis motu per ſummum illum naturæ conatum immutato, & inæquali reddito, ſpiritibus

 anima-

animalibus etiam in motus anomalos & tremulos quasi actis, variasque ideas menti offerentibus; quod & in vomendi conatu, in magno terrore, similique casu fieri quemvis frequens, & minus plerumque optata experientia sufficienter potest edocere. Qui illam anxietatem nonnunquam sequitur *sudor*, ille pro re nata, vel citatiori massæ sanguineæ motui, vel fibrillarum & glandularum subcutanearum à spiritibus intro quasi se recipientibus relictarum laxitati, hinc facili seri transmissioni adscribendus, quod posterius in alio quidem casu *B. Ettmüllero* placet. *Oris vero & Faucium* post expergefactionem *siccitas*, quam cum sanis tantum non omnibus, licet non in eodem gradu experiuntur communem, ipsam etiam de qua supra denudationem monstrans, vel salivæ secretioni, ob motum massæ sanguineæ nocturno tempore leniorem aut musculorum glandulas salivales comprimentium & linguæ motum cessantem, minori, (vid. *Nük. l. c. p. 34.*) vel particulis, quibus serum imbutum est salinis acribus calidis, potentialiter quasi (liceat ita loqui) exiccantibus imputanda.

§. X.

Res porrò causam jam dictam morbi productricem *foventes*, *augentes*, *exaltantes*, sub considerationis incudem omninò vocandæ, *in naturales*, *nonnaturales*, & *præter naturales* dividi solitæ: *Naturales* inter statim occurrit *temperamentum* biliosum, aliquando melancholicum, particularum talium, quales accusavi, fœcunda mater; Juvenilis, potissimum verò virilis *ætas* huic affectui magis est obnoxia, tum propter vitium in diæta accusandum ipsi frequentius, tum propter salium in sero sylvestrium ex tali diæta abundantiam, hincque serum facilius in orgasmum agendum. *Sexus* uterque huic aptus est affectui, *Viri* tamen ob illam externam caussam frequentius contingentem magis ipsi subjiciuntur.

§. X I.

Non naturalium verò rerum, sive Causarum procatarcticarum ingentem in morbis producendis vim quis est, qui nesciat? occurrit hic *Aër*, tum vi sua elastica pulmones intrans, sanguini commiscendus, tum exteriorem corporis peripheriam ambiens, nec non cum saliva, cibisque continuo deglutitus, calidior justo & fervidior

dior modo, ſanguinem impetuoſius ex agitando, ſerum attenuando, & apertis ſimul poris copioſius illud eliminando; modo exhalationibus humidis ſalibusque variis peregrinis imprægnatus ſanguinem ſimilibus particulis inficiendo, huic morbo anſam præbens. Quibus peculiares *aſtrorum influentiæ* magni fiunt, (quos inter unum & alterum alias *Philoſophiæ corpuſculari* & *Carteſianæ* ſummè addictum, eſſe miror) illi hic quoque iis locum concedunt: an verò præter Solem & Lunam reliqua etiam aſtra ratione ſuorum effluviorum motuumve, nec non ratione variarum conſtellationum, oppoſitionum, conjunctionum in morborum generatione tantum attendenda ſint? non immerito dubitat, qui immenſam illorum à terreno globo diſtantiam conſideraverit, nec non ignotam eſſe in tanta multitudine eorundem naturam, vimque non perceptibilem, & præterea odioſum Aſtrologorum diſſenſum, experientiasque quas adducunt nimium quantum fallaces cognoverit; quæ omnia accuratiſſimè tum in Collegiis, tum ſcriptis publicis excuſſit *Acad. Altorffin. Decus*, *Celeberr. Sturmius*, quem haud ita pridem, & *Patronum optimum & Præceptorem fideliſſimum* ſum expertus. Aërem excipiunt *cibi calidiores*, *pingues*, *ſulphureo-ſalinas particulas nec non acrimoniam* ſive in ſe, ſive ex conditura & præparatione culinari habentes, ſive in corpore demum ſecreti, mutati, fundentes: *Vinum* auſterum, acerbum, particulas multas acidas, acres, ſulphureo-ſalinas, terreſtres, impurasque alias in ſuo fovens ſinu: vel generoſum etiam optimum & puriſſimum, in quantitate quam par eſt, majori, aut tempore incongruo hauſtum, non ſolum maſſam ſanguineam exagitans, in efferveſcentiam agens, portiones balſamicas, blandas roſcidas nimis reſolvendo, attenuando, deprimendo, liquorem gaſtricum obtundens, ſed & acres exaltans, augens, aliisque modis earum proventui favens: *Vini* item Ω, particulas ſulphureo-ſalinas, oleoſas, calidas, concentratas magis poſſidens, & efficaciores, ob liquoris gaſtrici ſuppreſſionem enervationem ad acrium, acidarum particularum generationem multum conferens. Dicta tam alimenta quam potulenta non ſolum ſero talem imprimunt characterem, dum in ſanguinem abeunt, ſed & in ipſo tranſitu gulæ aliquid relinquunt. *Motus* & *quies*, ſi modum excedant,

ille particulas ſpirituoſas abſumendo, & imminuendo, blandas vero & balſamicas attenuando & reſolvendo, acrimoniæ fores pandens: hæc torporem ſpiritibus inducendo, dictarum laudabilium particularum productionem impediendo. Quo ferè modo ſuum quoque conferunt ſymbolum, *ſomnus* & *vigiliæ*. Sic excernenda varia *retenta*, & retinenda *excreta*, ut & tandem *animi pathemata*, ira cumprimis & terror, quin magnam habeant in diſpoſitione tali, qualem diximus, ſanguini inducenda modo agendi ex jam dictis facilè eruendo, virtutem, neminem qui dubitet, fore, perſuaſum habeo. *Præternaturalium* cenſui, tum intemperies totius, tum ſubjecti particularis qualiscunque à naturali devians craſis, organiſatio, unitatis ſolutio inſerenda.

§. XII.

Signis multis *diagnoſticis* in hoc affectu opus non eſt, ipſa ægri relatione in hoc Medicum ſublevante; *ſubjectum* v. illa moleſtia & irritatio in faucibus & parte ſcrobiculo cordis ſuperiore, tum conatus iſte manifeſtant: *Cauſæ* quoque quoad qualitates indolem cum temperamento & cauſis prægreſſis ipſe ſapor materiæ excretæ & ſiccitas faucium oſtendunt. Ratione *Prognoſeos affectus* exiſtit in ſe moleſtus magis, quam periculoſus; quod ad durationem attinet, moleſtia illa per quadrantem horæ aut paullo ultra durat, ejectaque materia conatus cum anxietate nonnunquam ſtatim, rarò interjecta longiori mora ceſſat. Non pauci per unum & alterum menſem imò & annum, moleſtum hunc patiuntur affectum, ſuccedente hydrope modo aſcite, plerumque tympanitide.

§. XIII.

Differentias qui ſectari vellet, aliquas ab affectus longiori vel breviori duratione, qualitatum item materiæ excretæ intenſiorum vel remiſſiorum ratione deſumere poſſet.

§. XIV.

Nunc ad *curationem* promovens pedem talem ex methodo medendi formo indicationem: *Solutio continui eſt tollenda, partium conſolidatio intendenda; particulæ muci ac ſeri ſalinæ acres, &c. ſunt infringendæ, corrigendæ; muci etiam defectus reſtaurandus, Ωus irritati demulcendi, genusque nervoſum iterum ſolandum.* Quæ commodè exequetur Medicus per medicamenta *fi-*

xiora,

xiora, *abſorbentia* dicta, & ſimul *nervis dicata*: Hæc enim particulis ſuis terreis, fixioribus, minus mobilibus, ſpongioſis, poroſis, obtuſis, mole aliqua & gravitate reſpectiva gaudentibus tenues, acres, bilioſos, ſulphureo-ſalinos, ſeroſos, acidos humores intra poros ſuos recipiunt, abſorbent, imbibunt, ſaturando corrigunt, angulos ſpicula & aculeos obtundunt, diffringunt, impetum, rarefactionem, æſtum & efferveſcentiam interpoſitione ſua & mole componunt, ſpiritus animales turbatos ſedant, compeſcunt irritatos, furibundos placant, nervoſas partes roborant, inque priorem placidum ſtatum omnia redigunt, quo facto etiam ſero debitus reſtituitur circulus, & partium continuitas ſoluta coaleſcit. His jungenda *humectantia*, *diluentia*, *demulcentia*, & alia, quæ vel aqueis particulis, vel glutinoſis, mucilaginoſis, balſamicis, roſcidis, emplaſticis quaſi, lævibus, hamatis, viſcidis particulas ſupra dictas peregrinas diluunt, temperant, vel inviſcant, in motu ſuo impediunt, aculeos ſibi implicatos retundunt, tenuitatem incraſſando corrigunt, muci blandi ſuccedaneum ſuppeditant, ipſiusque irritantis abſterſionem juvant, & continui ſolutionem tollunt. Poſſunt autem ad obtinendas dictas intentiones ex Materiæ Medicæ noſtro præſertim ſeculo locuplete penu varia deſumi, quæ inter uſitatiora ſunt *C. C. phil. calc. uſt. præparat. Cran. hom. phil. calc. C. alc. phil. calc. Ungul. alc. præparat.* ♁. *diaphoret. oc. 69. præparat. Corall. r. præparat. cryſtall. præparat.* ♁ *nativ. Unicorn. foſſil. Bol. arm. præparat. croc.* ♂. *Conſ. roſ. damaſc. r. rad. cichor. nymph. acetoſell. pap. errat. pulp. citr. condit. miv. cydonior. condit. Syr. de alth. Fernel. e roſ. ſicc. pap. ſimpl. pap. errat. acetoſ. acetoſell. granator. rub. id. Aq.* ex dictis *deſtillatæ* & aliæ appropriatæ. *Theriac. Cœleſt. Extr. pap. errat.* Formulis qui delectatur, ſequentes ſibi habeat:

℞. *C. alc. phil. calc.*
C. phil. calc.
Corall. r. præparat.
Unicorn. foſſil. an. ʒß.
♁. *nativ. gr. viij.*
Miſc. F. Pulv.

Cujus *doſis* ʒß. cum ſeq. vehiculo.

 ℞. *Aq.*

℞. *Aq. nymph.*
pap. errat.
ſenecii an. ℥j ß.
Syr. e. roſ. ſicc.
acetoſell. an. ℥iij.
Mſc. det.

℞. *Conſ roſ. r.*
rad. cichor.
pap. errat. an. ℥ ß.
pulp. citr. condit. ℥iij.
Syr. granator.
de alth. Fernel. a. q. ſ.
F. Electuarium.

℞. *Extr. pap. errat.*
Theriac. Cœleſt. an. gr. iij.
Miſc. F. pil. n. VI.
dentur pro I. doſi.

Julapia etiam vel cum *aqua* communi, vel cum *aquis deſtillatis* cum *Syrupis* dictis confici poſſunt; Serum ad debitam craſin, texturam ac ſaporem reducet uſus longior *juſculorum acetoſa, ſpinachia, fragaria* recentibus *alteratorum.* Liberum interea unicuique eſt, hæc vel ſimilia in uſum ducere; nec iisdem quoque ſemper *formularum* generibus pertinacius inhærendum, ſed *tempori* interdum, nonnunquam *ægri* quoque genio & voluntati aliquid indulgendum, cum alius *pilulis* delectetur, alius *pulverem* ſolum, alius cum *aquis* & *ſyrupis* permixtum lubentius aſſumat, alius vero delicatior *electuaria, rotulas,* & ſimilia præ omnibus exoptet. Mutare autem compoſitiones, & ægro cuivis, (fiat tamen ſine ejus noxa) ſatisfacere, proque ipſius lubitu ſub hac modo, modo ſub alia forma medicamenta offerre, nemini judicio Practico inſtructo erit difficile. Nec *acidularum* potus circumſtantiis aliis debite ponderatis inutilis eſt. *Univerſalia* ſive per ſuperius ſive per inferius guttur, ſive per renum canaliculos, ſive per cutis reticulares ductus educentia cur hic omittam? quærenti repono, affectui particulari dicta opponi debere remedia; cum autem ſanguinea maſſa aut ſerum heterogeneis inquinatum eſt particulis, indicata dicta, nullis præſentibus prohibentibus, exequenda ſunt.

§. XV.

§. XV.

Ex *Chirurgia* quid ſperandum auxilii, ſi ſeri quantitas affectu pertinaci exiſtente per veſicatoria fonticulosvè (absque ulla ratione hodie quibusdam, qui tædioſiores quam utiles, fruſtraneos penitus & è Medicina eliminandos illos argumentis utut minùs validis dicunt, peſſimè audientes) imminuatur, aut aliorſum derivetur.

§. XVI.

Tanto autem magis perquam erit neceſſarium *diætæ* accuratum regimen, ut nempè vitetur *aëris* quæcunque præ omnibus tamen calidior & ſiccior intemperies, ut abſtineat inprimis patiens à *cibis* nimis calidis acribus ſalino-ſulphureis, nimium conditis & aromatiſatis imò quamcunque ſive in ſe ſive ex conditura acrimoniam habentibus; ut *Vinum* mediocre, modice, nec plus quam quantum neceſſitas poſtulat, debito inſuper tempore, minime jejuno ſtomacho, vel loco hujus etiam *decoctum* quoddam congruum, vel vinum ſimili decocto dilutum hauriat, *ſpiritus vini* uſum tantum non penitus omittat, iſtamque pravam illo nimium utendi conſuetudinem ſenſim ſenſimque aboleat; in *motu* & *quiete*, *ſomno* item ac *vigiliis* nullibi modum excedat: ut *excretorum* & *retentorum* conſueta & naturalis ſervetur conſtitutio, & tandem ubi *animi pathemata ira* cum primis *triſtitia* & ſimilia ingruunt, non cœco naturæ impetui, ſed rectæ rationis potius dictamini mos geratur.

I.

ANne *gulam* curas, GEUDER, qui voce *guloſus*,
Non re, perque *gulam* dejicis absque *gulâ*?
Sic eſt: non dapibus cùm ſis, ſed in arte *guloſus*,
Exque *gulâ* { clarus redderis / Doctor diceris } absque *gulâ*.

Nobil. & Præclariſs. DN. Candidato, ſuo hactenus Commenſali ſuaviſſimo

lmq. p.

Georg. Henricus Häberlin / D.

II.

IN tenui chartâ *profundere* cuncta videris:
Non tamen es Geuder/ pectore *plura* tenes.

Nobil. & Clariss. Dn. Candidato
cum voto omnigenæ prosperitatis
scrips.
PRÆSES.

III.

DOctos docta decent: Qui gaudes *indole rarâ*,
Jure Tuo calamo *doctrinâ* quippe referto
Rarâ materiem perraram subjicis hancce,
Et scripto egregio das satque superque probatum,
Præmia quod summa & summos merearis honores,
Sacrâ in Apollinis Arte. Tuis *Dominator Olympi*
Donet conatus porro successibus almis!

Nobiliss. atq; Clariss. Dn. Licentiato, alteri Damoni suo, paucula hæc volanti cranâ invitâq; Minerva Altorffio Noricorum gratulabundus transmisit
Joh. Georgius Zapf/ Erffurtô Thur. Med. Stud.

IV.

GRatuler, an doleam potius, non exputo, ni *Tu*
Quid faciam tandem, *Dulcis Amice*, mones.
Utri plus faveam nostrum, id quoque nescio, cum sis
Alter ego, ô mihi me charior, *alter ego*.
Hoc scio; gratari pariter, pariterque dolere
Vix me posse unum, sed puto posse duos.
Si placet ergo, isthæc mecum nunc divide: sicut
Me miserum in partes dividis, ecce, duas,
Nam quia discessu tristi divelleris à me,
Divelli *medium* sentis & ipse *mei*.
Quin igitur, quin tu, ut par est, mea damna meamque
Iam dudum instituis, quæso, dolere vicem.
Si facies, ego mox etiam gratabor *honores*
Qui nunc, & qui Te forte deinde manent.
Tu meminisse tamen digneris *Amicus Amici*,
Dimidiiq; Tui Dimidium ipse mei.

In Amicitiæ sinceræ, plusquam fraternæ, & nunquam intermoriturae tesseram posuit
Georg-Andreas Schloßberg/ Eslingensis.

FINIS.